Baier Ign. Andreas.

Joachimi a Nativitate B. V. M. Sch. Piar. Sideris Leonini felix aspectus.

SIDERIS LEONINI
Felix Aspectus
Quem
in
Magnifico ac Generoso Domino
D. IGNATIO
ANDREA BAIER
Thesauri Regni primario Notario, S. R. M
Secretario, etc. Benefactore nostro colendissimo.
Dum
Natális & Patroni sui.
D. ANDREÆ
Annuò recurrentes Ferias ageret,
obseruauit,
ac
Votiuo adumbrauit
Elogio

Suus in Diuinis Orator
Ioachimus á Natiuitate B. M. V. Scholarum Piarum Sacerdos

Varsauiæ A. D. 1671.

Aſtra mouent Genii, ſiſtunt ad ſidera: necnon
Ad Noſtrum Genius, quò moueatur, adeſt.



Plena Tui ut fierent Natalis gaudia; cœlum
Contendit votis iungere Vota meis.
Ter ſonat Angelico fauſtum Tibi VIVAT ab ore:
Viue Tibi, Nobis Viuito, Viue Deo.

VOTIVUM ELOGIUM.

Descende cælo, vbi tuum concentrasti lumen
Diuinissime Titan,
Sidus Astræum extra astra tibi illuminandum iterum est.
ANDREAS
Etsi notatione Iesseá
Decorus sit in Statione
Circularem tamen Vitæ sphæricæ motum reassumere, nisi te
Auspice, non potest:
Vel ideò, quòd in puncto mortalitatis circulum agere
paruitas non permittat.
Lucinam, quæ communis in lucem prodeuntium Patrona est,
non inuoco; tanto splendori eò citius induceret tenebras,
quò antiquius eam Veritas locauit in obscuro.
Rectius huc Vraniæ Astrorum moderatricis desiderarem opem;
at innata
ANDREÆ
mei Virtus
quâcunq; Deorum fabulosorum potestate maior assurgit, &
Lucinam in licinam, Vraniam in inaniam conuertit.
Venales tituli procul este,
potiores, quám ex proprio, non habentur.
Ne binæ quidem BONI syllabæ toto emuntur auro.
Tam diu es sine nomine, quám diu sine Virtute.
ANDREAM BAIER
Sidus appello Leonis Corculum,
Non tám quòd á priuata Virtutis luce id mereatur, quám
quòd nesciat, nisi (vt SIDVS) splendorem suum communem
reddere.

Pridem ab eo præter naturam in
Leonis Sidere
Lux & accrescere cæpit hominibus, & augere dies.
Pietas & Misericordia
quarum prima Animæ, altera Proximi pabulum est,
si credimus,
quòd in radiorum naturam abierint, & consilio Euangelico
luceant coram hominibus,
Quî dubitem,
An SIDVS hoc iisdem colluceat radiis? cùm
ANDREAS
ex Hæbraico iterùm, vtriq; huic sit
respondens pabulo.
Sacrorum Vsus & Frequentatio filiæ sunt,
quæ ad quem potissimè referantur,
SIDVS hoc, patrem habent.
At quorsum hæc tandem Spiritualis generatio?
Fortunatam te Coniugem fatis abrepta
CÆCILIA!
Tuî ponendæ in feliciori Vita hæc omnia terminat amor.
Optimus iurati fœderis Consors
in charissima Filiola
CAECILIA
Partem Tui Nomenq; feliciter retinens
Vt iustè in voto agat, Iusta Tibi agere non desinit.
Ab ipso funestæ illius apotheoseos die, quâ de hac in aliam
migrasti Vitam,
hodie usq; nullam Missam omissam facit,
quá te poenæ Vinculis, si forte opus est, dimissam non cupiat.
O raram inter Coniugatos Phoenicem!
Hymenæi tædæ,
Vbi eas mortis vndæ occupant, aut extinguuntur,
aut saltem fumant:

Vestra vnica conceptas semel asseruat flammas.
Vt vel hinc vnicuiq; pateat,
iugalia Vestra Vincula nihil strinxisse præter animos,
nec vltra Amorem iuisse Amantis Votum.
At Tu
Lectissime Coniunx
id dum pro Coniuge agis, vel inde triumphas,
quòd in hoc vno omnium factus es Coniugum
Epitome.
Quid tandem in Te Misericordia ?
Misericors quisquis exemplo vis esse; in hoc SIDERE
quod imiteris, habes.
Pro se non solicitis sæpe solicitus est
ANDREAS,
&
quas multi in rebus suis exuunt, vnus ille induit curas.
Nae Tu liberalissime
ANDREAS BAJER
2 1 4 9 5 12 11 3 6 8 10 7
NARÆRE DABJS
imò
vt veriùs dicam,
Liberalitatis Tuo Flumine plurima iam beneficentiæ opera
in portum æternitatis transmisisti.
Vnde
5 7 3 11 8 10 2 1 6 4 12 9
ES DE BINA ARRA
scilicet
Pietatis & Misericordiæ
Cælestis iam possessor Regni:
Hæreditas enim Domini, filii merces.
Interim

Dilectum Coelo Sidus
Auspicare felix & Perfice cursûs Tui circulum.
qui Pietate in proximum & Misericordiâ melius
quám Naas in Dauidem ardes,
iisdem ignibus æternùm melior
2 1 6 12 11 9 4 3 5 8 10 1 7
NAA REARDEBJS.